



# The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA BARODENSIS (BOMBAYENSIS) \* DIVISA**

ARCHIDIOCESI BOMBAYENSI, NOVA DIOECESIS CONSTITUITUR, «BARODENSIS» APPELLANDA. Christi Regnum quam latissime in gentes proferre christianamque religionem ita propagare ut, secundum Isaiae Prophetae vaticinium (cfr. *Is.* 49, 6), salus esset populis usque ad extremum terrae, id non solum datum est munus praecipuum sanctissimis Christi Apostolis, verum etiam et Nobis, quibus, locum Petri obtinentibus, etsi omnino impares simus viribus, et sanctum, et sollempne, et in omni Pontificatu Nostro integrum fuit. Quam ob rem, cum Sacrae Congregationi Christiano Nomi Propagando, auditis quidem dilecto Filio Nostro Valeriano S. R. E. Cardinali Gracias, Archiepiscopo Bombayensi, atque venerabili Fratre Iacobo Roberto Knox, Archiepiscopo titulo Melitenaeo eodemque in India Internuntio Apostolico, visum esset archidioecesim Bombayensem dividere, ex eiusdemque territorio novam dioecesim excitare, id Nos probantes accommodatumque existimantes ad sanctissimam fidem Nostram in ea nobilissima natione augendam, ea quae sequuntur decernimus atque iubemus. Ab eadem Ecclesia districtus civiles, quos dicunt, Panchmahals, Baroda, Broach, Surat et Dangs, in Statu Gujeratensi exstantes, detrahimus inque formam dioecesis redigimus, nomine *Barodensis*, cleroque saeculari Indiano concredendae. Cuius quidem Sedem episcopalem in urbe Baroda poni iubemus, cathedralisque religiosae potestatis in templo Dominae Nostrae dicato a Rosario, in eadem civitate, quod debitum iuribus instruimus. Canonorum collegium condatur; quod si ad praesens fieri nequeat, permittimus ut eorum loco dioecesani Consultores elegantur, qui Episcopo rem dioecesanam agenti assint consilio, opera. Ad reliqua quod attinet, Mensam scilicet, electionem Vicarii Capitularis, Sede vacante, Ecclesiae regimen, cleri ac populi iura et officia, hisque similia, haec omnia ad leges Iuris Canonici regantur. Ceterum, volumus ut ea quae mandavimus venerabilis Frater Iacobus Robertus Knox ad exitum deduci curet, vel quem ille delegaverit. Qui vero rem perfecerit, documenta exarari faciat, eademque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittat. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undetrigesimo mensis Septembbris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri quarto.*

IACOBUS A. card. COPELLO

S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. card. AGAGIANIAN

S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regensloosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, Proton. Apost.*

*Iosephus Del Ton, Proton.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 3, pp. 208-210 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana